

disp. 3. de contr. et lib. quest. 8. punct. 4. num. 6. ut expendit condiciones, quae ad hanc alienationem requirunt, ergo etiam dispensatio data bona fide in causa non iusta erit valida.

46. Respondeo. Concedo antecedens, nego consequentiam, & major ratio est, quia ex communi sententia Doctorum videtur hic casus exceptus in bonorum Ecclesiae alienatione, veluti per Epicheiam: exceptio autem seu dispositio specialis in uno casu, non est ad alium trahenda. L. jus irregulare, ff. de legibus. Deinde assigno hanc majorem rationem, quia tam ad alienanda bona Ecclesiastica, quam ad dispensandum requiritur potestas à superiore, ad alienandum à Papa, qui licite potest dare talem potestatem, etiam sine ulla causa, & ideo ex communi Doctorum consensu iudicatur data, quia Ecclesia non vult invalidare talem alienationem legitimam putatam ad evitandas lites; at dispensare sine causa est peccatum ex genere suo mortale, ut est communis sententia, & ideo non praesumitur dare potestatem ad dispensandum sine causa.

47. Argues 3. Possessor bonae fidei, qui alienavit vel consumpsit rem alienam bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit locupletior, ut docet D. Thomas 2.2. quest. 62. art. 6. ibi. C. jet. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 1. n. 7. Molin. tom. 1. disp. 26. Clavis Regia lib. 16. cap. 2. n. 9. & alii multi, apud ipsos, in quo distinguunt possessorem bonae fidei à possessore malae fidei, quia iste tenetur ad restituendam rem, & damna omnia, ergo sicut illa alienatio facta bona fide sine iusto titulo fuit valida, & liberat à restitutione, ita & dispensatio data bona fide sine iusta causa, erit valida.

48. Respondetur, concedendo antecedens quod verum est, ut tenet communis sententia etiam de ipso possessore, quando in manu eius casu res perit. Negatur consequentia, quia nunquam talis alienatio potest dici valida, siquidem ille, ad quem res est alienata, vel vendita à possessore bonae fidei, ubi cognoscit rem esse alienam, tenetur ipsam dare domino suo. Deinde si ipsa res perit in manu possessoris, bonae fidei, licet non teneatur restituere ipsam rem, quia solum tenetur ratione rei acceptae, res verò accepta non extat, ergo non tenetur ad illius restitutionem, obligatur tamen ad restituendum id, in quo factus est locupletior, vel quia tali re aliquid lucravit, vel quia illa evitavit aliquos sumptus, ergo.

QUESTIO VIII.

Utrum praecognitio causae necessaria sit ad validè dispensandum?

SUMMARIUM.

- 49 In notoriis non requiritur probatio iuris. Dispensatio data à superiore sine causa cognitione est valida, ibid.
- 50 Prima sententia ait, quod dispensatio data ab inferiori sine causa cognitione sit nulla.

51 Secunda sententia, & vera affirmat, & probatur, & n. 52.

53 Respondetur argumento contrariorum, ac confirmationi, & n. 54.

55 Dispensatio facta sine causa cognitione, praesumitur dolo obteata.

49. Querimus an causae praecognitio, & examinatio praemittenda sit, ad hoc ut valida fiat dispensatio, & quantum ad examinationem certum est non requiri quando causa est notoria, & manifesta, quia in notoriis non requiritur ordo juris nec notorium exigat examinationem. Cap. manifesta 2. quest. 1. Sed questio est, quando causa non est manifesta, & notoria, & in hac re est certum, quod summus princeps, dispensando sine causa cognitione, valida est dispensatio, sicut valida est dispensatio ab ipso data, sine causa, ut dixi supra quest. 1. num. 4. à fortiori ergo erit valida sine causa cognitione, questio est tantum de inferiori dispensante in lege superioris sine causa cognitione.

In hac re prima sententia dispensationem datam sine causa cognitione esse nullam. Ita Angelus in summa verb. dispensatio, nu. 12. Azor. 1. part. lib. 5. cap. 15. quest. 9. & 10 ubi ait, quod talis dispensatio sine causa in utroque foro; nam facultas censetur commissa cum causa cognitione, ita videtur constare ex cap. necessaria, & cap. dispensationis 1. quest. 7. ubi dicitur temporum veritatem exposcere aliquando, ut leges relaxentur adhibita diligenti ponderatione; & clarius hoc docet Tridentin. sess. 25. de reformatione cap. 18. ubi disponitur, ac praecipitur, quod si urgens ratio postulaverit, cum aliquibus dispensandum, id tamen fiat, causa cognita, ac cum summa maturitate, de quo Menochius consil. 116. num. 15. Gurtierrez Canonic. lib. 1. cap. 19. num. 5. Barbosa de potestate. Episcopi allegat. 33. num. 4. & confirmatur, quia sicut actus jurisdictionis est absolutio à peccatis, & censuris, ita & dispensatio; sed absolutio non potest dari, nec à peccatis, nec à censuris, nisi cognita causa; ergo nec dispensatio.

51. Communis, & vera sententia est, validam esse dispensationem in foro conscientiae, datam sine cognitione causae, dummodo causa dispensandi verè subsistat, quamvis in foro exteriori revocari possit. Ita Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 11. Salas de legibus Salas. disp. 20. sect. 9. num. 79. Villalobos in summa Villalobos; tom. 1. tract. 2. dub. 41. num. 4. Bonacina de leg. disp. 2. quest. 2. punct. 3. num. 17. Diana 1. part. tract. 10. de leg. Resol. 34.

52. Probatur primò, quia nullo jure probatur cognitionem causae requiri ad validitatem dispensationis in foro conscientiae, dummodo talis causa verè adsit in re, ergo talis cognitio non est necessaria. Probatur secundò ex c. Nihil de elect. ubi dicitur electum sine causa examine esse ejiciendum, cum indignus reperitur, ergo à contrario sensu, non est ejiciendus, si dignus inventiatur, quamvis eligentes praetermisso examine defecerint in electionis forma, ergo etiam dispensatio data sine causa cognitione erit valida, si verè causa subsistat; & inde ex praecitato textu manet confirmata secunda

50. Angelus. Azor. Trident. Menochi. Gutier. Barbosa.

pars conclusionis, quod poterit invalidari in foro externo.

53. Salas. Ex quibus bene notat Salas citatus num. 81. quod subditus urens tali dispensatione nec venialiter peccabit, quamvis sit etiam in voto, vel juramento. At verò Praelatus dispensando sine causa cognitione, ut bene advertit Sanchez num. 11. in fine, peccabit mortaliter, exponit enim se periculo faciendi dispensationem invalidam, & sine causa.

54. Ad argumentum contrariorum desumptum ex jure, ex Tridentino dicimus, quod loquuntur de foro exteriori, & ideo dispensatio data sine cognitione causae poterit annullari in foro externo, & ideo in tali foro habetur praesumptio, pro subreptione. Cujus rei signum est, quod Tridentinum indistincte loquitur de Summo Pontifice, ac alio quolibet Praelato; & tamen omnes fatentur, quod dispensatio data à Papa sine cognitione causae est valida, ergo etiam quoad alios Praelatos, ac proinde solum poterit invalidari, praesumitur enim dolo obteata. Clausula autem posita in Tridentino, cognita causa; ut portè iusta, non ponitur tanquam quid necessarium, sed ad evitandam temeritatem, & ideo ait Concilium Cum summa maturitate; Unde si causa aliunde cognoscitur, vel verè praesens in re, valida erit dispensatio.

55. Ad confirmationem concedo majorem, & minorem, nego consequentiam, est dispar ratio, quia absolutio à peccatis, & censuris fit per modum sententiae, & ideo requirit causae cognitionem, at dispensatio non fit per modum iudicii, sed jurisdictionis voluntariae, & gratuita, & ideo Praelatus potest secum dispensare, non verò se ipsum absolvere, ut dixi supra quest. 6.

56. Saar. Pro magis confirmanda hac doctrina nota ex Suariorum lib. 6. de leg. c. 19. n. 2. Quod esto dispensatio fuerit data sine causa iusta, tamen praesumptione subreptionis in foro externo notari, probando legitimam causam non interfuisset ad dispensandum, quia tunc per sufficientem probationem constabit in foro externo, legitimam causam non dari ad dispensandum, & sic pro tali foro dispensatio erit invalida.

QUESTIO IX.

Utrum subditus petendo, procurando, accipiendo, utendo dispensatione injusta peccet?

SUMMARIUM.

- 57 Dispensatio obteata falsà causà, nulla est.
- 58 Qui inducit postulare dispensationem injustam peccat.
- 59 Questio est de acceptante, ac usense dispensatione injusta.
- 60 Prima sententia affirmat peccare mortaliter secunda venialiter. Sylveira Opuscula.

61 Tertia sententia ut vera probatur, ac confirmatur, & n. 62.

63 Ponuntur, & solvuntur argumenta contraria, & n. 64. & 65.

57. IN praesenti questione non loquimur de eo, qui falsa causa, vel ratione dispensationem procurat, quia certum est talem peccare mortaliter, & dispensationem esse nullam, ut notant omnes Doctores, & ratio est manifesta, quia superior quando dispensat, ait si iusta est, seu si preces veritate nituntur; & quando hoc non exprimitur, semper subintelligitur, ut notat Petrus de Ledesma in summa de sacram. Matrim. c. 27. difficultate ultima.

58. Quantum verò spectat ad petentem procurantem, inducentem superiorem precibus, vel postulationibus ad dispensandum in lege injusta, certum est peccare eodem peccati genere, quo peccat superior, de quo dixi supra quest. 3. peccare mortaliter, nam iste inducit ad peccandum, inducens autem ad peccandum, eodem peccati genere peccat, quo peccat inductus, ut cum multis tenet Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 18. num. 8. Valentia 1.2. disp. 7. quest. 5. punct. 9. Bonacina disp. 1. de leg. quest. 2. punct. 3. n. 16.

59. Questio autem est de utente, ac acceptante talem dispensationem injustam, an praeter peccatum commissum in petitione, & procuratione incidat in novam culpam utendo tali dispensatione injusta. In qua re triplex est sententia; prima peccare mortaliter, ita Cajetan. 1.2. q. 96. art. 5. in fine. Ledesma in summa tract. de Matrim. cap. 27. post. 4. conclus. dub. 1. quia peccat contra conformitatem, quam lex naturalis dicitur in membris.

60. Secunda sententia affirmat utentem tali dispensatione peccare venialiter. Ita Rodriguez, tom. 1. quest. 26. art. 7. Valentia, & Bonacina citati. Fundamentum est, quia iste dispensatus non peccat contra legem, in qua est dispensatus, cum per dispensationem sit exemptus. Deinde in usu talis dispensationis solum peccat ex quadam indecentia, quia indecens est, ut pars sit deformis à toto, quod cessante scandalo, vel alio damno, non ita est grave, ut excedat culpam venialem.

61. Tertia sententia tenet absolute utentem tali dispensatione nullo modo nec venialiter peccare, secluso scandalo, aut malo exemplo, ut excludi potest, verbi gratia violatio legis fiat occultè, vel si alii arbitrentur dispensationem esse iustam ex legitima causa concessam. Ita Aragonius 1.2. quest. 89. Aragon. art. 9. ad finem. Valquez 1.2. disp. 178. c. 4. Navar. ac sequuntur Suar. lib. 6. de legib. cap. 19. num. 14. Salas lib. 5. institut. Moral. cap. 15. questione 3. Probatur, quia utens tali dispensatione non peccat contra legem, in qua est dispensatus, ut probat ratio posita in 2. sententia, nec peccat contra legem naturalem de conformitate membrorum inter se, & cum capite, quia lex naturalis non obligat validè dispensatum, ut se conformet cum aliis membris, nullam habentibus dispensationem, ut patet in privilegiatis, qui non tenentur se conformare cum aliis, nec assigna-

bitur alia lex contra quam peccet, ergo in usu talis dispensationis nullum datur peccatum.

62. Confirmatur, quia si Princeps absque iusta causa tollat legem omnino, tunc non peccabit eam non observans, ergo similiter quando partim tollitur lex, dispensando, cum aliquo, talis utens dispensatione non peccabit, nullum enim principium assignabitur, ex quo dicatur illum peccare.

Argues primo: qui utitur tali dispensatione iniusta cooperatur peccato superioris, ergo peccat eodem genere peccati. Et confirmatur. Quia acceptans, ac utens dispensatione iniusta cooperatur peccato concedentis: dispensatio enim plane non sortitur suum effectum, donec acceptetur, ac in usu proponatur.

63. Respondeo negando antecedens, quia non cooperatur peccato Principis dispensantis, quia ut operaretur eum Principe, concurreret in dispensationem faciendam, quemadmodum cooperatur, qui superiorem inducit, & excitat ad faciendam dispensationem, non vero acceptans, vel utens tali dispensatione, non concurrat eodem modo ad illam, imò supponit factam, sed utitur effectu dispensationis, in quo effectu nulla est malitia.

64. Instabis. Dispensatio fuit iniusta, ergo etiam effectus, nam si dispensatio esset nulla, nullus etiam esset ejus effectus. Respondeo; quòd quamvis dispensatio iniusta ponat aliquem effectum iniustum, nempe in legislatore peccatum, tamen omnis ejus effectus non est iniustus, ut patet in iniqua abrogatione legis, quam licet abrogando Princeps peccet, tamen subditus illa utendo non peccat, ita in presenti, quia in primis non obligatur à lege cum sit in ipsa dispensatus, nec alia lex extat, à qua obligetur. Ad id autem quòd dicitur de actu invalido, est multum dispar ratio, quia actus invalidus idem est, ac si non esset, & nihil operatur.

65. Ad confirmationem principalis argumenti dicimus, quòd acceptans dispensationem, ac utens non cooperatur peccato concedentis, ergo postquam legislator concedit dispensationem, nihil amplius acquiritur, ex parte ejus, ut dispensatio suum obtineat effectum, licet ex parte subditi executio desideretur, ac peccatum Prælati stat in concedenda dispensatione iniusta, in quo nihil facit subditus acceptando, & sic dispensatio ex parte concedentis in ipsa dispensatione plane sortitur suum effectum.

66. Dices 2. Sicut superior dispensando sine iusta causa peccat, & consentiendo ut subditus utatur tali dispensatione etiam peccat, & veluti prosequitur in eodem peccato, ita etiam subditus petendo dispensationem iniustam etiam peccat, ergo etiam perseverando in tali usu etiam peccat, & prosequitur in eodem peccato.

67. Relicta solutione Suarii cap. 19. numer. 14. Tunc vero dic eum distinctione, quòd si dispensatio est data ab inferiori sine causa in lege superioris, tunc utens tali dispensatione potest peccare mortaliter juxta gravitatem materię quia talis dispensatio est nulla, ut dicitur supra q. 1. & sic non eximit dispensa-

tum ab obligatione legis, cum dispensatio nulla nullum obtineat effectum, quòd agnoscens dispensatus illa non potest uti. At vero si dispensatio facta est à proprio legislatore, uti superiore illius, tunc dispensatio est valida, ideo cum tertia sententia dicendum existimo, quòd utendo illa nec venialiter peccat.



RESOLUTIO XXVII.

Potestas Ecclesiastica ad dispensandum.

QUESTIO PRIMA.

De his, in quibus summus Pontifex valet dispensare.

SUMMARIUM.

- 1 Summus Pontifex potest dispensare in omni jure humano, tam Ecclesiastico quam civili.
2 Pontifex non potest dispensare in his, que immediate proveniunt à principis natura, ac voluntate divina, & n. 3.
4 Tamen Deus in aliquibus potest mutare materiam, sed talem mutationem non potest facere in omnibus.
5 Nec Pontifex potest dispensare in his, que immediate pendunt à voluntate divina.
6 Potest Pontifex dispensare in aliquo jure divino, cuius obligatio oritur à voluntate divina.
7 Non tamen in matrimonio consummato.

V Aldè ampla, & lata est hæc materia; & certum in hac materia Summum Pontificem posse dispensare in omni jure humano, sive Ecclesiastico, sive civili, an vero possit dispensare in jure divino, naturali, controversa est, & quamvis omnes Catholici conveniant, quòd in aliquibus possit dispensare, tamen in explicanda hac re varii sunt dicendi modi, & aliquando valde confusi, & multis omissis.

Dico, Quòd Summus Pontifex non potest dispensare in his, quæ immediate proveniunt ab ipsis intrinsecis principis naturæ, vel à voluntate divina immediate, Ac proinde non potest dispensare Deum creatorem, & auctorem non esse diligendum, ac venerandum; nec parentes honorandos, nec etiam in his, quorum materia, nisi varietur, est intrinsecè mala ex se; ac proinde licere furari, occidere, adulterari, nec etiam potest dispensare in his, quæ immediate pendunt à voluntate divina, ut in materia, forma, ac integritate Sacramentorum. Ita Abbas in cap. Abbas à nobis num. 4. & in cap. qua in Ecclesiasticis de consuet. num. 11. Filinus ibid. num. 26. ibidem Filinus Inno

Innocent. Panorm. Navar. Sanchez.

Azor. M. Cornejo. Bonacina Rebollus.

Innocentius, Panormitanus, Navarrus, lib. 4. consilior. tit. de sponsalibus, & consil. 3. num. 8. & tit. qui filii legitimi num. 2. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 6. à num. 5. usque 10. tom. 1. in Decalog. lib. 4. cap. 37. num. 14. Azor. lib. 6. cap. 1. questio 5. M. Cornejo, tom. 2. tract. 2. disp. 7. dub. ultimo, num. 2. Bonac. tom. 2. disp. 1. de leg. quest. 1. punct. 2. num. 12. Rebollus lib. 2. quest. 6. sect. 7. n. 6.
3. Probatur, quia potestas Pontificis data est à Deo tanquam fidelis dispensatoris in ædificationem, & non in destructionem, atqui si Pontifex dispenseret, ut licitum esset furari, adulterari, fornicari, & occidere, maximè ejus potestas esset in destructionem totius boni communis, ergo talis potestas non ei data. Confirmatur: quia Deus de potentia absoluta non potest dispensare, in hujusmodi jure naturali, divino, ut in primis principiis, ac præceptis Decalogi, quia talia ante omnem prohibitionem, ac voluntatem sunt intrinsecè mala, & disconveniunt mortaliter naturæ rationali, ipsamque deordinant à suo naturali fine, nam hæc non sunt mala, quia prohibita, sed quia mala, ideo prohibita, ergo nullo modo potest Deus talia facere. Et confirmatur, quia Deus necessariò amat suas perfectiones, ergo necessario odio habet quiddid illis opponitur; sed quiddid opponitur præceptis Decalogi, opponitur perfectionibus divinis, ergo necessario sunt in odio Dei, ac proinde non potest talia præcipere. Ita D. Thomas 2. 2. quest. 100. art. 8. ibidem Cajetan. Conradus, Medina, M. Cornejo tom. 2. tract. 6. disp. 1. dub. 4. num. 4. Sotus lib. 2. de justitia quest. 3. art. 8. & plures alij, quos citant, ac sequuntur Vasquez 1. 2. disp. 179. cas. 2. Salas disp. 5. sect. 9. n. 51. Lotca de legib. disp. 9. Membro 2. & alij.
4. Qui etiam norant, quòd quamvis præcepta Decalogi sint indispensabilia, tamen Deus ut supremus Dominus potest mutare materiam: propria auctoritate non licet occidere, tamen Deus ut supremus Dominus omnium vitæ, potest eam auferre, sic & furari nemini licet, tamen Deus ut omnium Dominus, potest huic, vel illi transferre dominium, & quamvis hoc verum sit in aliquibus præceptis, non tamen in omnibus, ut D. Thomas 1. 2. quest. 100. art. 8. ad 3. & cum multis aliis, tenet Suarez lib. 2. de legibus cap. 15. num. 16. quia in aliquibus materia est adèd determinata, ut neque de potentia Dei absoluta, in illis possit fieri mutatio, ut in primo præcepto Decalogi, Non adorabis deos alienos; impossibile est, quòd liceat, ut aliquis æquali honore, ut Deus verus honoretur, sic & de secundo præcepto Decalogi, tum quia involvit deformitatem mendacii, tum quia facit Deum auctorem mendacii.

D. Thom.

4.

5.

D. Thom. Cajetan.

nejo, Coniach. ibidem art. 5. An verò circa ipsa Sacramenta possit Pontifex per modum interpretationis aliquid declarare; An verbi gratia in regione frigidissima, ubi nulla conservatur vini copia, liceat consecrare sub una specie tantum; multi, & graves Theologi affirmant.

Dico 2. Quòd Pontifex potest dispensare in aliquo jure divino naturali, cujus obligationis radix est à voluntate humana in aliquo speciali casu, iusta interveniente causa, ita Auctores citati in prima conclusione, ac proinde potest dispensare in voto, juramento, matrimonio rato, residentia Episcoporum, qui voluntariè tale onus susceperunt. Probatur, quia Deus potest dispensare in tali jure divino naturali hoc modo consideratio, & deinde bene sequitur quòd etiam Pontifex; quia hoc nullam dicit indecentiam, sed magnam convenientiam, ac utilitatem boni communis, ac Regni, ergo Pontifex habet hanc auctoritatem ad dispensandum, ac relaxandum ipsum jus naturale in tali casu. Major est certa; Minor patet, quia dispensatio in aliquo casu speciali, in voto, matrimonio rato, potest conducere ad pacem unius Regni; deinde in hujusmodi dispensatione nulla datur indecentia, cum talis obligatio orta sit ex voluntate humana, Consequentia est bona, quia concessio facta Petro, & suis successoribus fuit generalis, & amplissima, Quodcumque solveris super terram, &c. Ex quo Ecclesia colligit potestatem ad indulgentias, ac censuras, ergo etiam ad dispensandum in hoc jure.

Cornejo. Coniach.

6.

Nec inde inferas, ergo etiam poterit Papa dispensare in matrimonio consummato, cum etiam dependeat à voluntate humana, hoc tamen negant omnes Theologi, & Jurista, & meritò sanè quia ejus omnimoda indissolubilitas provenit ex ratione significationis, significantem indissolubilem Christi cum Ecclesia unionem per carnem assumptam. Ita Canus, Medina, Azor, Petrus de Ledesma, Palacius, & multi alij, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 13. n. 7. & tom. 1. in Decalog. lib. 4. cap. 37. n. 14.

Canus. Medina. Azor. Ledesma. Palacius. Sanchez.

7.

QUESTIO II.

De Etymologia nominis Archiepiscopi, Metropolitanani, Episcopi, & de Archiepiscopo, dum vi sitat.

SUMMARIUM.

- 8 Etymologia nominum Archiepiscopi, Metropolitanani, Episcopi.
9 Archiepiscopus dum visitat, potest dispensare, in voto, ac juramento suffraganei.
10 In Confessionalis potest dispensare in voto, ac juramento subditorum suffraganei.

AB Etymologia nominis incipio Archiepiscopus deducitur à verbo Græco Archon, Bb 3 quòd